



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XI. Agriculturam ante omnia curandam, & ornandam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

ille est, qui priuatus Grammaticem docuit, ordines duxit, & habitus est parior, quæ & necis causa illi fuit. De illo refert Julius Capitolinus. Tam parcus autem, & tam lucri cupidus fuit, ut apud vada Sabaria, mercaturæ exercuerit Imperator per homines suos, non aliter quam priuatus solebat. Hæc Capitolinus parum sincere, nam manifestus est falsi, cum ait: nec multum tamen amatus est. Quomodo non multum amatus, quem Senatus populusque ita Imperatorem factum latatus est, ut de nullo omnino tam sincerum gaudium fuerit? quem tantum luxerunt, quantum nulla mater filium: ipse Capitolinus ait populum ejus mortem indignissime tulisse; milites quidem eum & aulici odio habuerunt, & causa odij iniquissima; quæ rapinas & libidines eorum compeſcebat. Denique Seuerus Successor nomen Pertinacis asciiuit, ut boni Principis mores æmulatus videretur. non facturus, nisi carus fuisset Pertinax. De auaritia eum non excusos ipse se, cum recusat imperium, purgauit. Ad hæc quicquid, enormibus Tyrannorum atque immensis largitionibus insueuerunt, si frugaliter paulo aut continentius ex pecunie inopia agere instituit, non tam id modera cuidam dispensationi prudentiæque attribuit, quam auaritiæ continuo tibi, & fordes exprobrant: neque cogitant neminem posse magna turpis dilargiri, qui se à vi atque arapinis abstineat. Qui autem recte ac prouisus, dignitate dispensat non modo nihil cuiquam iniuste eripit, sed & ceteros frugis esse docet & parcere pario. Et hæc ad normam facta ejus fuerunt. Vetiſſima, inquit Herodianus, quod omnia quæ ad contrahendas pecunias tyranni excogitauerant, in suuiorum ripis, in vrbium portibus, perque vias & itinera, penitus remisit, atque in antiquam libertatem reuocauit. multaque item ad idem exemplum facturus videbatur. Nam & delatores vrbe exegerat, & vbi inuenirentur puniri imperauerat, cauens, ne cui iniuria fieret, aut de vanis criminibus periculum constaretur.

Egregium factum si recte perpendatur, omnia dilapidauerat Commodus, decies HS. Pertinax inuenit, h. e. vix 30. millia; donatiua tamen erogate, Remp. regere, aulam constitui oportuit, inter hæc tamen vetustalia tyrannica abrogat, legitimos opum quærendarum modos exquirat, inter eos & mercaturam habet, quam priuatus exercebat, nec illi vitio datum est, quod post tot bella confecta feliciter, prouinciasque administratas Senator summæ dignitatis iam sexagenarius negociaretur, populo venerabilis & Senatui, Imperatori ius, & exercitui carus erat, dignus quæ ex negociatore fieret Imperator. Quæ Historia satis ostendit, quod supra dixi. Martium illum populum impensius etiam Mercurium, quam Graduum patrem stirpis, ut putabant, auctorem coluisse.

Hinc opes illæ Crassi, quibus exercitum alere posset. Plinius tamen Crasso ditiores libertos fuisse meminit. L. Domitius militibus promittit quaternam iugera, quæ pro militum numero erant quadraginta octo millia. Plin. l. 18. sex Dominos Africæ misisse possedisse. Non igitur milites duntaxat Romani, sed & Aratores & Mercatores, & vtrumque inter arma. Sed de agricultura jam dicam.

CAP. XI.

Agriculturam ante omnia curandam, & ornandam.

§. 1. **A**gricultura inter omnes artes primatum obtinet, nam Protoplastus in Paradiso ad hortum colendum positus est, & Noë vir agricola post cataclysmum cepit exercere terram, & plantauit vineam. Causa est, quia agricultura arrium omnium est fundamentum. *ἡ ἀρχὴ τοῦ βίου καὶ τῆς πόλεως.* inquit Aristotel. l. 1. 7. c. 8. Polit. *ἡ ἀρχὴ τοῦ βίου καὶ τῆς πόλεως.*

Primum suppeditati oportet alimentum, deinde artes. Et explicatius de ea differit l. 1. Oeconomix c. 2. Hoc autem est, ut prouisum sit, qualem illam esse conueniat. Facultatum verò ea cura prima est, quæ naturam sequitur. Natura autem ordine prior est agricultura, secundumque, locum obtinent, quæcumque à terra proferunt aliquid, qualis est metallorum ars, & si qua alia eiusmodi est. Maxime sanè agricultura iusta est: non enim pendet ab hominibus, vel volentibus, ut quorum sunt capona, & qui mercede operas dant, vel nolentibus, qualis tota res bellica est. Maxime præterea naturalis est, Naturaliter enim à matre cunctis nutrimentum suppeditatur, itaque, & hominibus à terra. Ad hæc plurimum confert agricultura fortitudini.

Hæc igitur pars omni in genere curanda est Reipubl. siue agrum vberem habeat, siue minime, nam & sterilis cultu fit vilis, & siuis amatur, idcirco; Vlysses, qui prudens fingitur, Ithacem asperam, & saxosam diligebat. Hæc itaque conſectanda est; Quia maxime naturalis est, & iusta. Arist. l. 1. Pol. c. 10. Quare ea pecunia querenda ratio, natura consentanea omnibus est, quæ est à fructibus & animalibus. Cum sit autem ea duplex, quemadmodum diximus, & altera quidem sit caponaria, altera ad rem familiarem tuendam pertinens: & hæc quidem necessaria sit, & laudatur: illa autem, quæ in permutacione nummi confistit, merito vituperetur (non enim natura consentanea est, sed in ea alter ab altero lucrum aucupatur) optima ratione omnibus in odio est ratio feneratorix, quod ab ipso nummo quaestus fiat, & non ad quam rem paratus est vsurpetur. Permutacionis enim gratia natus est: sanus autem eum auget & multiplicat. Vnde etiam apud Græcos hoc nomen reperit (τοκογ. enim à pariendo, quod illi dicunt τοκω. manauit.) Quod etiam Turcica Barbaries censuit, quanquam enim Ottomanni agricolis vitam reddunt non vitalem, de quo citore post dicam; Agriculturam tamen magni faciunt, ut constat ex consuetudine, quæ receptum est, ut Imperatores ex hortu viuunt, ita narrat Leoniceus. Turc. hist. l. 1. c. 20. Est quoque, in Imperatoris palatio hortus maximus & amenissimus, cuius qui curam gerunt, Bostangielæ, hoc est, hortulani vocantur, suntque, eorum 200. iuuenes à 15. anno vsque ad viceſimum. Horum est officium pascendo, & irrigando hortum colere & inundare. Stipendio indies donantur trium vel quatuor asprorum, & vestitu annuo. Qui primus fructum, vbi maturauerit, præſectio obtulerit Imperatori exhibendum, is mille aspris donatur. Hortulanorum Præſectus Bostangi Bascia vocatur, cuius stipendium est 200. asprorum singulos dies. Hic reliquis Eunuchis dignitate minime æquipollet, sed solummodo seruus est Imperatoris. Fructus, qui ex hortu isto colliguntur, ab hortulanorum Præſectio venduntur, pecunia ea Imperatori offertur, nec in alium vsu adhibetur, quam ut cibaria pro ipsius Imperatoris mensa inde coemantur. Lucrum enim è fructibus terre acceptum, honestum & diuinum iudicat Imperator, quippe quod non ex subditorum grauaminibus, sed ex diuina benedictione colligatur, idcirco; verat ex ea pecunia, quæ ex reliquis, decimis & exactionibus conquiratur, cibaria pro sua mensa comparari.

§. 2. Omnes qui prudenter Remp. instituerunt, aut gubernarunt, agriculturæ primas dederunt Atque ab illis incipiam, quorum est in tuto gloria, Iosephus ex agricolacione ditauit Pharaonem; David ipse ejus rei summam curam habuit: Postquam enim Scriptura opes ejus & potentiam recensuit, curam quoque rei rusticæ describit l. Paralip. 27. 26. Operi autem rustico, & agricolis, qui exercebant terram, præerat Ezer filius Chelub: vinearumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis Zabdiel Aphonites. Nam super oliueta & sicca, quæ erant in campeſtribus, Balanem Gederites: super apothecas autem olei, Iosab. Porro armentis quæ pascabantur in Saron, præpositus fuit Sethrai Saronites: & super boves in vallibus, Saphat filius Adli: super camelos vero, Vbil Ismaelites: & super asinos, Iudias Meronathites: super oues quoque Iaziz Agaræus. Omnes hi Principes substantiæ Regis David.

Agricultura naturalis.

Caponariam, & feneratoriam Aristoteles reiecit.

Ottomanni agriculturam magni faciunt.

Turca mensa ex venditis fructibus.

David agricultura deſtitutus.

Iofias.

Ezechias.

Romani agricola.

Annus 50. auaritia aduersus, agriculturam conducent.

Diuidi agros expediat.

Bellorum premia agri.

Pena negligentis Coloni.

Nec minus studiosus fuisse agriculturam videtur Iofias, qui populo in epulum dedit minoris pecoris 30000. bouum tria millia de Regis substantia. Principes templi dederunt pecorum duo millia sexcenta, boues trecentos. Deinde Chonenias & ceteri fratres ejus dederunt Leuitis quinque millia pecorum, boues quingentos. De Ezechia dubitare fas non est. 2. Paral. 32. 28. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & praesepia omnium iumentorum, caulasque pecorum, & vrbes sex adificauit sibi, habebat quippe greges ouium, & armentorum innumeraabiles, eo quod dederat ei Dominus substantiam multam nimis.

Ozias etiam inter belli curas agriculturam deditus fuit, 2. Par. 26. 10. Exstruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas eo quod haberet multa pecora tam in campestribus, quam in Eremita vastitate. Vineas quoque habuit, & vitatores in montibus, & in carmelo; erat quippe homo agriculturae deditus.

Egregium plane regem & optimis conferendum, nisi familiari potentibus superbia lapsus, dum Sacerdotio iuihat, regno excidisset. Romani quoque ab initio agricolae fuerunt; nam agri colendi, & militandi leges illis Romulus praescripsit. Hinc consulares & Triumphales agricolae, Cicerones, Fabij, Marci, Dentati, Catones, Serrani, quin etiam ex Imperatoribus Diocletianus, atque alij.

§. 3. Deus ipse populo suo terram diuidi imperauit, leges constituit, ne possessiones miscerentur, annum quinquagesimum, quo ad dominos pristinos redirent, sanctum instituit, ne pauci latifundia occuparent, pauperesque pellerent. In paucas enim particulas agrum diuidi expedit, ut melius colatur. Laudabilem consuetudinem Aphytaeorum refert Aristoteles l. 6. Polit. c. 4. Nunc autem in Aphytaeorum lege haec omnia dirigere nos oportet. Est enim ad id, quod dicimus, vtilis. Nam illi, quamuis & multi sint, & agrum angustum habeant, omnes tamen sunt agricola, non enim censentur totae possessiones neque fundos integros in censum referunt, sed in tot particulas diuidunt, ut etiam pauperes censibus diuites superare possint. Secundum eam multitudinem, quae ex agricolis constat, populus ille est optimus, in quo sunt pastores, & qui ex re pecuaria vitam tolerant.

Hac etiam ratio fuit legum Agrariorum apud Romanos, quae contendeant, publicos agros viritim diuidendos esse, tum ut necessitatibus ciuium succurreretur, tum ut agri diligentius excolerentur. Lycurgus etiam omnibus agros diuisit, ut laborum quilibet & fructuum terrae particeps esset; eandem rationem secuti sunt Athenienses. Veteranis suis Romani in subsidium vitae agros dabant, quae occasione ad seditionem vsi multi, & ad militem concitandum Caesar, cum quereretur negari terras, quas noster veteranus areret, cum tamen Pompeius magnus Piratis victis dederit.

An melius fient Piratae Magne coloni?

Hinc & victos agris discedere iusserunt. Innumera exempla sunt, de Gallis Cicero pro Fonteio testatur. Huic Provinciae, quae ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius: (ut dixi) praefuit: qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coegit: ceteris, qui idcirco magnis saepe erant bellis superati, ut semper populo Romano parerent, magnos equitatus ad ea bella, quae tum in toto orbe terrarum à populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum, ad Hispaniense bellum tolerantum.

Coloniae deducebantur diuisis agris. Solos Thracas, & Thespienses agriculturam ofores nouimus. De Thracibus narrat Herodotus: Ociosum esse, laudabile apud eos fuisse, contemptissimum esse cultorem agrorum. Sed barbaros & latrones fuisse constat, nec Rempublicam habuisse, sed caedibus & rapinis viuissse.

§. 4. Respublica primum, agrorum, vinearum

culturam praeter fructum, quem magno faenore reddidit terra, etiam praemio, poenaeque promouebit. Romanorum si quis agrum sordescere sinat, ararius fit. Gellius l. 4. cap. 12. Suaeque sane singulis annis bis inspicia-gros, hortos, vineas, sedulis cultoribus laudem, interdum partis tributi remissionem dari, ociosos argui, agrum bonum, sed negligenter cultum magis grauari.

Valentinianus & Valens prudenter, qui ita statuerunt c. 11. t. 58. 1. 3. Quicumque, deserta praedia meruerint sub certa immunitate, ad possessionem impetratorum, non prius sinantur accedere, quam vel fidei iussoribus idoneis periculo curialium datis, vel fundis patrimonij sui maxime vtilibus obligatis, idonea cautione firmauerint susceptam à se possessionem nullo detrimento publico relinquendam.

Hoc posterius diffidentia genuit; nam olim sat erat colonum esse, cum publice agricolis faueretur; ita magna in gloria erat agrum bene coluisse; familiam magnam alere regium. Abraham, ceterique Patriarchae, & diues ille Jobus patientiae exemplum, exercitus pastoritios, & egregie fortes habuerunt.

Magni igitur honoris ea res fuit: Eumolpus Pertronianus per Numidiam tam magnam familiam sparsam habuisse dicitur, ex more Romanorum, ut capere Carthaginem posset, cur sparsa: nonne ad agriculturam, & pastiones Arabant utique; Romani, pascebant, fenerabantur, negociabantur. Et his artibus bellum sustentabant.

§. 5. Nouos agros, seu noualia institui, vetribus excisis, siccatibus paludibus, interdum excisis syluis, deductis riuus, & in cilibus. Hoc olim facile erat, cum spaciofa terra delectum sui paucis habitatoribus preberet, nunc arduum optimis occupatis in sterili sudare solo. Verum hortor Principem, ut circumspiciat, quid negligatur, quid colui possit.

Nam ignauia cultorum & deluetudine multa fertilia terrarum inculta & horrida jacent. Quid cultus nunc millitibus Aegypto, sed tamen Augustus purgatis Nili fossis, quae obliuata erant feraciorum illam fecit, ut annonam Roma certior haberet. Veteranis etiam non semper agri culti assignabantur; ita queruntur seditioni Tiberiano tempore, Vligines paludum nomine agrorum assignari. Sic desertos agros cum immunitate assignabit, ut fecit Constantinus cap. 11. t. 58. l. 1. Cum diuus Aurelianus parens noster ciuitatum ordines pro desertis possessionibus inuenerit conueniri, & pro his fundis, qui inuenire Dominos non poterunt, quos praeceramus earundem possessionum triennij immunitate percepta de solennibus satisfacere: seruato hoc tenore praecipimus, ut si constituerit ad suscipiendas easdem possessiones, ordines minus idoneos esse, eorundem agrorum onera, possessionibus & territoriis diuidantur accepta.

§. 6. Hoc imprimis ipse Princeps faciat, ut exemplo Oziae cisternas fodiat in deserto, turres aedificet, greges alat, agros colat. Insigne exemplum est Perthinax inter raros Principes. Ita de illo Herodianus: Postremo nondum bimestri imperio expleto, quum quidem ille iam non dubium sua probitatis specimen dedisset, vniuersis in optimam spem erectis inuidit repente mala fors, quae omnia funditus euerit, sic ut egregij illi conatus rebelement omnibus profuturi, in medio quasi cursu prolaberentur. Nam primum quidem quicquid in Italia, aut alibi inculti gentium soli, etiamque sub Regibus vacaret, id totum occupacionibus, & Ratio colendi, etiamque, sub Regibus vacaret, id totum occupacionibus, & colentibus adiudicauit, decemque annorum immunitatem ac perpetuam dominij libertatem agricolis concessit.

Aurea lex est Valenti. Theod. Arcad. 6. 11. t. 58. l. 8. Qui agros Domino cessante desertos, vel longe positos, vel infinitos, ad priuatum pariter publicumque, compendium excolere festinat: voluntati suae nostrum nouerit adesse responsum: ita tamen, ut si vacanti ac destituito solo notus cultor insederit, ac vetus dominus intra biennium eadem ad suum ius uoluerit reuocare, restitutus primitus, quae expensa constituerit, faculta-

cultatem loci proprii consequatur. Nam si biennii fuerit tem-
pus emensum, omnis possessionis & domicilii carebit iure, qui
siliuit. Tanta cura colendis agris boni, & prudentes
Imperatores instituerunt.

*Germania
olim infe-
cunda, in-
cultis, nunc
terraru est
cultissima.*

§. 7. Quantum referat Agricultura studiosos esse,
docet nostra Germania; quæ olim aspera cultu, nec
urbes, nec panem habebat, pulcibus utebantur; con-
sulantur Cæsar, Tacitus, Strabo l. 7. Ab Istro irriga-
ti desertas regiones scribit Procopius, Sueui hoc lau-
di sibi ducebant, longissime vacare regiones circum
quaque, itaq; sexcenta millia Cæsaris tempore si-
ne cultore squalabant. Cæsar lib. 4. bell. Gall. nunc
verò cultissima tot urbibus est, ut nulli regioni ce-
dat. Neque dici potest optima quæq; esse occupa-
ta; nam & olim ita videbatur, cum saltus vnus esset
Germania; nunc quoque quod de herbis dixerunt
nonnulli; optimas calcari, de Germania quoque v-
surpare possumus; optimas glebas calcari, non coli. Vi-
di priuatis, vidi Nobiles, Prælatos, aliosque, qui re-
purgatis collibus, vites plantarunt, aut fruges fecerunt,
pascua lata effecerunt. Quantas opes Reipublicæ
parare posset Princeps, si vel coli suo sumptu, vel co-
lendos priuatis pro decimis assignaret?

*Adhuc tota
ferilitas
Germania
nondum cen-
tata est.*

Quis verò Principum est, qui non aliquot millia
jugerum in mediocritate colligere possit? Det
libertatem subditis, ut si opportunitis locis cultura
idoneum locum occupant, datâ Reipublicæ pen-
sione annua sibi retineant, atque ad hæredes trans-
mittant. Veteres Germani agriculturæ non studue-
runt, Strabo libro 7. Sueuorum natio, ut superius dixi,
partim intra, partim extra, syluam (Herciniam) habitat,
Getarum contermina gentis. Sueuorum quidem gens amplissi-
ma, è Rheno siquidem vsq; ad Albim peruenit fluium, eorum
portio etiam trans Albim loca depascitur, quemadmodum Eu-
modori, Lancoargi; nunc autem isti trans fluium in fugam
compulsi exciderunt. Commune a. est omnibus, qui hunc tra-
ctum incolunt, ut aliis facile migrent, & propter victus tenui-
tatem, & propter agrorum ignauiam colendorum, & propter in-
opiam pecuniarum. Cumq; in tuguriis habitent, in diem ha-
bent suppellestem, plurimamq; pecoribus trahunt alimo-
niam. Sicut & Nomades, eorumq; instar domestica in carris
tollebant instrumenta, quocumq; fors tulit & opinio, suis cum
armamentis conuertuntur. Sunt autem & alii Germania populi
indigentia magis laborantes, Cherusci, Chatti, Gama-
brini, Chattuarii, ad Oceanum præterea peringentes Su-
gambri, Chaubi, Bructeri, Cimbri, Chauci, Chaules, Gam-
psiani, ceteriq; quam plurimi.

*Vastati a-
grilus bar-
bararu vr-
bium.*

Singulis annis etiam agros mutabant, quod ma-
gna negligentiaë causam dabat, ita Julius l. 6. Agri-
cultura non studet (Germani) maioreq; pars victus eorum in
lacte, caseo, carne consistit. Neg, quisquam agri modum cer-
tum, aut fines habet proprios: Sed magistratus ac Principes in
annos singulos gentibus cognationibusq; hominum, qui vna
coerunt, quantum eis, & quo loco visum est, attribuant agri,
atq; anno post alio transire cogunt. Ciuitatibus maxima laus
est, quam latissimas circum se vastatis finibus sedes habere.
Hoc proprium virtutis existimatur, expulsos agris finitimos
cedere, neg, quemquam propè audere consistere. Contraria
cultis populis tenenda est ratio, ut agri vndiq; colen-
di quærantur.

*Belge olim
fera natio.*

§. 8. Quid fecerit priorum industria facile con-
spicimus, & fruimur. Cæsar lib. 3. de Belgis nostris
ita loquitur: Vbi Oceano, inquit, appropinquat (Rhe-
nus) in plures distat partes, multis, ingentibusq; insulis ef-
fectus: quarum pars magna à feris barbarisq; nationibus in-
colitur, ex quibus sunt, qui piscibus, atq; ouis auum viuere
existimantur. At nunc toto orbe terrarum locum cul-
torem an inuenire possis? Cultura hoc fecit. Olim
tota ditio Fuldenis salus erat, jam nulli Germania
parti, excepta Rhenana & Istriana, cedit.

Victus olim in Belgio Germaniaque miserimus,
nec alius esse posse putabatur; Tac. de German. In

omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in hæc corpora, qua
miramur, excrescunt: sua quemq; mater vberibus alit, nec
ancillis ac nutricibus delegantur. Domum ac seruum nul-
lis educationis deliciis agnoscas. Inter eadem pecora, in eadem
humo degunt. Est tegmen omnibus, sagum, fibula, aut si de-
sit, spina consertum, cetera inuicti totos dies iuxta focum atq;
ignem agunt. Peucini, Venedorumque, & Fennorum
nationes Germanis, an Sarmatis ascribam dubito: quæ-
quam Peucini, quos quidam Bastarnos vocant, sermone, cul-
tu, sede, ac domiciliis, ut Germani agunt, sordes omnium ac
torpor, Procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum
habitu sedantur, Et mox: Fœminis mira feritas, sed pa-
upertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitus
pelles, cubile humus.

*Victus &
sordes Ger-
manorum
veterum.*

Domus vix vllæ, specus, & antra fuerunt. Tacitus.
Suam quisq; domum spacio circumdat, siue aduersus casus ig-
nis remedium, siue infœria edificandi. Ne cantentorum qui-
dem apud illos, aut regularum vsus: materia ad omnia vtun-
tur informi, & circa speciem aut delectationem. Quadam lo-
ca diligentius illuminant, terra ita pura, ac splendens, ut pictu-
ram, ac lineamenta colorum imiteretur. Solent & subterrane-
os specus aperire, eosq; multo insuper fimo onerare, suffragium
hyemi, & receptaculum frugibus.

*Domus ger-
manorum.*

Et Seneca: Germani, inquit, errant incertis sedibus: sunt
apud eos perpetua hyemes, solum infœrandum, nulla ades, ve-
nationibus viuunt: vbi cunq; nox fessos laboribus depredendit,
cubant sub frondibus, aut in speluncis foueiscunt: non habent
domos, sed casus soliti & culms coniectas. Incole circum agun-
tur chorizontium more in congelato mari, victitantes carne
ferina, gens nuda, & pellibus solum ferarum vestita, & pro-
pterea vilis despectaq; ab omnibus.

*Germani
despecti.*

Manferunt hæc vsq; ad Christiana tempora, Ca-
rolum, Bonifacium, donec cultura ostenderet, omne
solum esse fertile. Hæc idcirco attuli, ut discamus ad-
huc loca superesse culturæ. Nam quemadmodum olim
infrugifera loca illa putabantur, quæ nunc cul-
tissima, fertilissimaque sunt; ita nunc quoq; insignes
agri sunt, quos aratra nōdum violant; paludes
sunt, quas ficari posse multorum industria docuit.

§. 9. Agros non modo tempestas, & bellum, sed
maxime onera ciuica faciunt steriles, quibusdam in
locis depascuntur eos greges ceruorum, in alijs mi-
les amicus, sed concussor, in plurimis & tributa. Ita
ut colere non libeat. Imò ipsi tributorum magnitudi-
ne compulsi sterilitatem mentiantur, ut exactores e-
uident; ita factum colligimus ex lege Grat. Valent.
Theod. aaa. c. 11. t. 57. Quisquis vitem succiderit, aut fe-
racium ramorum fecerit vitiauerit, quo declinet fidem censuum
& mentiatu callida paupertatis ingenium: mox detectus
competenti indignationi subiiciatur, illo videlicet euitante ca-
lumniam, qui forte detegitur. Laborasse pro copia, ac pro re-
parandis agrorum fertibus, non sterilitatem aut inopiam pro-
curasse. Datum Prid. Non. Ian. Constantinop. Eucherio &
Syagrio Cosi.

*Tributa fa-
ciunt agros
steriles.*

Quæ enim cura fuerit agrorum, si melior putatuit
sterilitas, quam crudelitas lauernionum, malo, sed
specioso iure grassantium? Hinc lege, Qui grauatos,
& l. Peræquatores, benigne succurritur miseris.
Bellis ciuilibus magna etiam cura agricolarum ha-
bita, sed postèriora tempora omnia in pectus vertere.

*Timore ir-
ratoru ste-
rilitate ef-
ficiunt.*

§. 10. Reuocanda lex antiqua de pace agricola-
rum, quam Cyro tribuit Xenophon lib. 5. Cumq; co-
gitasset fore ut qui ad se defecerant, quoniam essent Babylonii
finitimi, malo afficerentur, nisi ipse adesset semper: Ita ut quo-
cunq; ex hostibus missos faciebat, is iussu Assyrio dicerent, &
ipse caduceatorem ad eum hac dicturum misit, se paratum
esse sinere agricolas terram colere, nullaq; iniuria afficere. Sic
etiam ille velle agrum colere agricolas eorum, qui ad se defece-
rant. Quamquam tu, inquit, fietiam possis prohibere, paucos
quosdam prohibeas: (parum enim est agri eorum, qui ad me
defecerunt) at ego multam tibi regionem colimittam. Quod
autem ad perceptionem fructus attinet, siquidem bellum
fuerit;

*Bello agri-
cola im-
munes.*

ferit, ille fructum percipiet, qui superior fuerit: Sin pax erit, perspicuum est te percipiturum. Quod si aut ex militibus meum arma inferant tibi, aut ex tuis mihi, deus vtrique pro virili vltionem capiemus. Hec vbi caduceatori iussisset, eum misit. At Assyrii his omnibus auditis suadebant Regi, vt hac concederet, & quam minimum belli relinqueret. Et Assyrius siue à suis persuasus, siue quod ipse ita vellet, hac concessit: ac fœdera percussa sunt, vt terram colentibus pax esset, armatis vero bellum.

Hoc quoque consilio, saltem publico, imitati sunt Belgæ; multi enim agricolarum, qui in finibus erant, partis vtriusque protectionem habuerunt, sed consilio publico; nam vtroque à milite damna passi sunt. Quin jam ante Cyrum ea humanitate vti sunt reges, Nabuzardan Præfectus Babylonij Regis vinitores & agricolas reliquit, Indorum etiam eam fuisse consuetudinem auctor est Arianus l. 5. de reb. Alexandri Diodor. Sic lib. 2. c. 10. Sunt enim tam victori quam victo necessaria opera agricolarum. Hoc igitur genus hominum, nunc omnium primo prædis obicitur. Quocirca ad bellum remorem annonæ caritas cre-scit. Agricola necessitate compulsi, ipsi quoque bel-ligerantur, aut ad latrocinia sese conuertunt.

Defendere
agricolas
est pascere
ciuitates.

§. 11. Magnæ quoque fuerit prudentiæ agrico-las immunes conferuare ab aulicorum, nobilium, potentium, tabularum injurijs, illæ enim efficiunt, vt nec agrum colant diligenter, nec de augendâ re cogitent, vt ille dum

Nec spes libertatis erat, nec cura peculî.

Nec igitur dominos plures sentiant in villulis suis, nec rure in urbem extrahantur. Eorum etiam sim-plicitati consulatur, dum ingratissimis vrbibus necessaria inferunt, ita constituerunt Clemens V. & Pius V. qui vestigalia exigi ab agricolis annonam importanti-bus vetuit. Hinc illa præclara; ne bouem aratorem pignori accipere liceat, ne pro repressalijs liceat agri-colas molestari. Olim potentes vrbani onera in ru-sticos deriuabant, quod vetuit Imperator Constantinus c. 11. tit. 57. Quoniam tabularum ciuitatum per collu-sionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt: iube-mus, vt quisquis grauatum se probauerit, suam tantum pri-sistinam possessionem cognoscat. Datum 15. Kal. Febr. Roma Constantino A. 111. & Licinio Cæs.

A militum etiam molestia vindicantur c. 11. t. 60. Præta provincialium nostrorum, & præcipue rei pri-uatae nostrae, perniciosum vel periculosum est militum molestia fatigari. ideoq. lege ad amplissimam præfecturam promulgata, censemus, ne hoc deinceps vsurpetur. Super qua re vniuersos quorum interest conuenire tua magnificentia non moretur, neq. permittat possidiores vel colonos prætorum gratia qualibet importunitate vexari. Dat. Non. Sept. Honorio X. & Theo-dos. VI. AA. Cæs.

§. 12. Sua vnumquemq. non aliena colere val-de expedit. Apud Romanos toties definitus est agri modus, quem vltra tenere nemo posset, semper ta-men leges illæ violatae, etiam ab ipsis legislatoribus; nam inde fit, vt opprimantur agricolæ, hinc postea pulsis agricolis ergastula omnium possessiones oc-cupabant, inducuntque in nobilem terram seruitute sterilitas secuta, qualis nunc apud Turcas est. Tanta enim est in vastis terrarum fertilium spacijs sterilitas, inopia colentium, vt bellum domi sustinere nullo modo possit eorum Imperator. Quia enim Turco-rum subditis persuasum est, omnia sua esse propria Imperatoris, atque ille hoc iure vtitur, hinc agricul-tura destituitur terra, ideoque hominibus, hoc est, fundamento virium. Nam primo Europæi tyranni-ce habentur, & in maximâ desperatione versantur, nec ad rebellionem tyrannidi tante concitandum, quicquam deest, præter occasionem; Impetium igitur hoc incultum est, & vastum, solitarium, debile. Prouerbio dicitur, vbi Ottomanni caballus figit pe-

dem, ibi nunquam herbas nasci. Cujus causæ multæ sunt, sed præcipua, quod vel illi è fundis auferuntur, vel fundi ab ipsis, pro regnantium arbitrio.

§. 13. Agriculturâ simplicior est, & facilior pas-tio; Faciliam vitam pastores ducunt. Aristoteles Polit. lib. 1. c. 8. Victus enim ab animantibus cicuribus si-ne labore eis contingit & cessantibus. Cum porro necesse sit pe-coribus locum mutare propter pascua, ipsi quoque, vna sequi co-guntur, veluti vna agricultura operam dantes. Alii ex ve-natione viuunt: Sed alii ex alia, exempli gratia. Hi ex latro-cinio, illi ex piscatu, quicunq. lacus & paludes & fluuios, aut mare piscationi opportunum accolunt: alii ex aucupio, aut præda ferarum bestiarum. Pleriq. autem homines è terra vi-uunt, & ex fructibus mansuetis. Hæc maximè curæ fuit Orientalibus, & regia planè, nunc contemptissima est; sed Princeps addet dignitatem, si quidem facile, & sine injuria discere cupiat.

§. 14. Quæti rusticana conuenit, & ad securita-tem pertinet, vt in villis pagis quæ suos habeant judi-ces; nam multa inde commoda oriuntur; non co-guntur in vrbes, non auocantur à labore, facilius li-tem componunt, breuiori compendio ius dicitur. Nec imperitia obijci potest, habent illi lites non in-tricatas, & leges paucas, ex quibus sententiam di-cunt, quod si res difficilior agitur ad vicinas vrbes consilij causa mittitur. Iustum verò est, vt mercato-rum causæ mercatoribus, ita rusticorum rusticis committi, & fabrorum fabris, modo à perito di-rigantur, ne à communi jure recedant. Nam reuera multi nunc *diacrioi* concutunt miseros, auctoritate, minis magistratuum terrent. Id olim præfides, pub-licani, eorum familia, milites cum aperte in pacato solo prædari non possent, in more habebant, vt per calumniam opprimerent. Hæc causa olim Variaræ cladis, cum imperium eorum Germani accepissent, sed mores ferre non possent; præcipue verò in cau-sidicos sequebantur, vnius linguam excisam manu te-nens Germanus Eia vipera, inquit, etiam nunc sibi-la.

Concussio-
nes rustico-
rum impe-
dienda.

§. 15. Optanda quidem esset omnium agrorum fœcunditas, sed quia eam Deus dare iustâ causâ no-luit, arandus est & ager exsuccus. omnis Res publica sibi talem deligeret, qualem lib. 7. cap. 5. Politic. de-scribit Aristoteles: Similiter autem & de agri natura se res habet. Nam quod ad illud attinet, qualis esse debeat, nimi-um omnes cum laudauerint, qui sit rerum omnium copia re-ferus atq. instructus, suusq. ipse bonis contentus: talis autem sit necesse est, qui sit omnium rerum ferax. Omnibus enim re-bus abundare, & nulla egere, hoc est, suis ipsum bonis conten-tum esse, omniumq. rerum copia refertum atq. instructum esse: multitudine autem, & magnitudine talis, vt qui in eo ha-bitent, possint viuere ab omni opere vacantes liberaliter simul & temperanter.

Magnus, &
fertilis ager
optandus
sed qui ha-
bitetur ar-
dens est.

Sed rarus ejusmodi est ager, non omnis fert omnia tel-lus, quædam valde pauca. Itaque jura, quæ agricul-turam constituerunt, misceri agros iussere, vt qui in-fœcundum fastidiret, fertili priuaretur, ita de publi-cis agris leges: Quisquis (c. 11. tit. 58.) conductor fuerit in-uentus possessor fundi fertilis, qui ex publico vel templorum iu-re descendit, huic ager iungatur inutilior, quod si contra id re-luctandum existimauerit, alius possessor sub eadem præstatio-ne quæatur: vel si voluntarius, qui sit conductor non inueni-atur, tunc ad possidiores antiquos, id est, decuriones vel quosli-bet alios loca iuris prædicti adiunctis inutilibus reuertantur idoneis fideiussores præstitis.

Miscendi
agri fertiles
& infæ-
cundi.

§. 16. Quin & illud sagax antiquitas prouidit, vt munire, & colere limites posset, ne inculti jacerent agri, sed si eos milites colere vellent, immunes esse iusserunt, ita Theod. & Valens AA. c. 11. t. 59. Agros no-liberi limitancos vniuersos cum paludibus omniq. iure quos ex præscia fuere. dispositione limitanci milites ab omni munere vacuos ipsi cu-rare pro suo compendio atq. arare consueuerant: & si in præ-senti coluntur, ab his firmiter ac sine vlla concussionis graua-

mine

mine detineri: & si ab aliis possidentur (cuiuslibet spaci temporis prescriptione cessante) ab vniuersis detentoribus vindicandosidem militibus sine vilo prorsus (sicut antiquitus statutum est) collationis onere volumus assignari: in his etiam contra eos, qui preceptionibus nostris obuiam venire tentauerint, proscriptiois poena valitura. Nam si quis forte (quod minime audere debuerat) emptionis titulo, memorati iuris possideat pradia: competens ei actio contra venditorem intacta seruabitur.

Milites veterani noui coloni. Imitare animose Princeps, firmabis opes, & regnum; Ecce gentium Domini per militem agros limitaneos, hostium excursibus obnoxios colebant, nec tum pudebat Veteranos arationis, qui pro extremo premio agros expectabant, qui nouerat maximos Imperatores post trabeam, ad suam triumphalem redisse. Denique hoc age, ut vbique tuus ager, tuum pecus videatur. Miror Romanam industriam. Augusti imperio, C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino Cos. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamentum edixit, Plinius lib. 33. cap. 10. Quis uis multa ciuili bello perdidisset, tamen relinquere seruorum 4116. iuga bouum tria millia sexcenta, reliqui pecoris, ducenta quinquaginta millia, in numerato sexcenties decies quinquies centena Philippicorum millia, computatione Lipsianâ. Hæc priuatus, & bellum passus. Cur non Princeps, si omnes occasiones inquirat, idem poterit?

Turca fides agros coleret orbem totum occupare posset. Ad Agriculturam refero piscinas, saltus, omniaque quæ terra & aqua proueniunt. Quorum fructus si Princeps sequatur, nihil opus fuerit, quotidie noua vectigalia, noua tributa imponere. Terra ipsa satis secunda fuerit ad dignitatem tuendam, hostemque arcendum. Quod si Turca, qui tantum terræ desertæ & fertilis possidet, vel millesimam aliquam partem in Græcia, in Asia, Palæstina serid colendam susciperet, facile tantos greges, quantos Josaphat, Ezechias, Josias, in sumptum exercitus alere posset, sed noluit Deus tantæ sæuitiæ addere prudentiam politicam, ne viribus suis totum orbem occuparet.

CAPVT XII.

Principi fossilium rerum precia conquirenda esse.

§. 1. Germanis nostris argentum, & aurum propitius, an irati Diu negauerint, dubitat Tacitus; sanè nunc quam plurimum auri, argenti, gemmarum possident. Multi etiam laborem improbum, τὸν ὑπερβαλόντων, metalla exquirentium valde reprehendunt, aurum irreperitum, ajunt, melius situm, dolent cum Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Metalla scrutari oportet est principum. Plinius libro trigésimo idem studium, quod docet, insectatur, Metalla nunc, ipsæque opes, & rerum precia discuntur, tellurem intus inquirente cura multiplici modo: quippe alibi diuicijs foditur, quærente vita aurum, argentum, electrum, æs: alibi delicias gemmas, & parietum digitorumque pigmenta: alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella cadesque. Persequimur omnes eius fibras, viuimusque super excavatam, mirantes dehiscente aliquando, aut intremiscere illam, ceu verò non hoc etiam indignatione sacra parentis exprimi possit. Imus in viscera eius, & in sede Manium opes quarimus, tanquam parum benigna fertillique, quaquà calcatur. Inter hæc minimum remedium gratia scrutamur. Quot enim cuius fodiendi causa medicina est? Quamquam & hoc summa sui parte tribuit, ut minime parca, facilius, in omnibus qua profunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, qua occultauit atq; demersit, illa qua non nascuntur: ut repente mens & inane euolans reputet, qua deinde futura sit finis, seculis omnibus exhauriendi eam, quousque penetret

auaritia. Quam innocens, quam beata, imò verò & delicata esset vita, si nihil aliud, quam supra terras, concupisceret, breuiterque, nisi quod secum est! Eruitur aurum & chrysocola iuxta, ut pretiosior videatur nomen ex auro custodiens. Parum enim erat vnam vitam inuenisse pestem, nisi in pretio esset, auri etiam sanies. Querebat argentum auaritia: boni consuevit interim inuenisse minium, rubentisq; terra excogitauit vsum. Heu prodigiosa ingenia, quot modis auximus pretiare rum? Accessit ars pictura, & aurum argentumq; calando carius fecimus. Didicit homo naturam prouocare. Auxere & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines calare inuit, ac per obscenitates bibere. Abiecta deinde sunt hæc & sordere coepere: & auri argentiq; nimium fuit. Murrhina & chrysellina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuria gloria existimata est, habere, quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdus textimus calices: ac temulentia causa tenere Indiam inuat: & aurum iam accessio est.

Opum abusus est, sed non nisi opib. defendi Respubl. potest.

§. 2. Hæc omnia auaritiæ sunt conuitia, non facultatum, ut initio dixi; De v s enim hæc quoque donauit in vsum humani generis, quod abundare, & splendere voluit; nec alio modo subterraneæ diuitiæ vituperantur, quam ea, quæ foras ipsa producit, vinum, & fruges, animalium deliciae, formarum venustas, his enim omnibus stultitia abutitur. Metallorum itaq; opes sapiens Princeps inquit, & ea Republicam iuuabit. Aurum per bella querere, nefas est; per maria, periculum; per falsitates opprobrium, in sua verò natura, iustitia, ut monet Cassiodorus. Ratio triplex ejus inueniendi. Apud nos, inquit Plinius libro 30. cap. 4. tribus modis; Fluminum ramentis, ut in Tago Hispania, Pado Italia, Hebro Thracia, Pactolo Asia, Gange India; alio modo scrobibus puteorum effoditur, aut ruina montium. In fluminibus licet præstantissimum dicatur, & absolutissimum cursu ipso trituque perpolitum, non tamen jam amplius inuenitur, aut potius non queritur.

Vitia vituperantur, non facultates.

Tribus modis aurum quaritur.

Cum verò ex metallis, gemmis, marmoribus, omnibus metallicis, & sanie metallorum ingentes utilitates oriantur, non sunt negligendæ, sed tanquam Reipublicæ data beneficia cum gratiarum actione vsurpanda. Quod si jam olim venæ compaterint, inuestigandæ porro; de nouis quoque sedulo cogitandum. Neque existimandum ita, Deum dispensasse, ut veteres omnia eruerint; Immenstæ diuitiæ latent abdite sub montium molibus, aliæ profundis, aliæ penè in propatulo. Tanta est eorum varietas, ut certare videantur cum illis, quæ enascuntur. In summâ tellure Principatu Neronis in Dalmatiâ inuentum est aurum, singulis diebus etiam quinquaginta libras fundens, cum jam inuentum in summo cespite, ait Plinius.

Aurum in summo cespite.

§. 3. Statuendum omnino plurimas esse passim venas metallorum per Europam, & Asiam, quæ negliguntur, cujus signum est fluuiorum arenæ aureæ, quæ indicant vicinas ripas abundare auro. Neque vllum Principem arbitror esse, qui non eas diuitias habeat, sed deesse industriam scrutandi. non affirmo vbique aurum esse, sed speciem aliquam metallicam, seu fossilium rerum. Aurum, argentum, electrum, æs, ferrum, stannum, plumbum, argentum viuum, sandaracham, minium, cadmiam, alumen, sulphur, bitumen, terram Samiam, Ectetiam, Eliam, Selinusiam, Pignitidem, Ampelidem, Cimoliam, Sardam, Vmbriam, tot lapidum genera. Nam quotidie noua hujusmodi inueniuntur, quod signum est esse. Præcis temporibus nihil horum erat in hac nostra Septentrionali Europâ, nunc pluribus locis plurima sunt; quia olim aliæ erant curæ mortalium, nunc illa quærentur. Tacitus; Argentum negat esse in Germania, at nunc inuenitur, & hoc, & aurum.

Omnib. in terris aliqua metallica inesse.

Nulla